



*Haud ducere debuit P. M. uiduam, sicut dicitur in Parascha<sup>c)</sup> citata, uiduam, repudiatam, uitiatam, et meretricem, illas haud ducat, et discimus e capite<sup>d)</sup> cuius est initium: ueniens ad leuiram suam: P. M. non ducat uiduam, siue fuerit ex desponsatione, siue ex matrimonio uidua; Et hic intelligitur P. M. siue unctus fuerit oleo unctiois, siue inauguratus sit uestibus. Item unctus belli, sicut est traditio in Codice de Iudicum documentis, Capite extremo: et hic est P. M. inter fratres suos, siue ille sit P. M. unctus, in cuius capite effusum est oleum unctiois, siue sit unctus belli; De quo uero dicitur: imple manus eius, ut induatur uestibus; hic est ille, qui dici solet P. M. inauguratus uestibus. De omnibus illis dicitur deinceps: Cuspud suum non abradat<sup>e)</sup> et reliqua; uiduam, repudiatam, uitiatam, et meretricem non ducat: et traditio est, non omnia conueniunt uncto belli, praeter has quinque res, quae enumerantur in Parascha, hae scilicet: caput non abradat, uestimenta non discindat, non polluatur super propinquis mortuis, praecipuum habet de uirgine ducenda, et interdictum de uidua. Cum igitur tanta inter Pontificem M. et unctum belli intercederet similitudo, nemo superior habitus est Patre patrato Hebraeorum, quam solus P. M. atque ob olei dignitatem maximam maior fuit unctus belli ipso Pontificis M. uicario, quod ex Hebraeorum magistris exposuit IO. CHRISTOPHOR. WAGENSELLIVS in Commentario in SOTAM. f) Quanquam igitur e praecipua, quae inter Pontificem M. et Patrem patratum intercessit, conuenientia satis ampla fuisse uideatur dignitas feccialis, ad bellum uncti, maior tamen, quam ex his, quae differuimus, credi poterat, statueretur, si intellexeris, in re summi momenti solum pontificem, qui ob ortas belli calamitates unctus fuerat, eodem loco, quo Rex, et Princeps synedrii magni, habitum fuisse. Celebratissima fuit Deum consulendi ratio per Urim et Thummim, quod tantum abest, ut credamus, aliquid materiale ab ipsis lapi-*

B 2

c) *Leuit. XXI, 14.*

e) *Leuit. X, 6.*

d) *Mischnah in Iebammot Cap. VI. §. 4.*

f) *Cap. VIII. §. 1. p. 342.*